



40

RECTOR
ACADEMIAE WITTENBERGENSIS
JO. GOTHOFREDUS
BERGERUS
CONSILIARE ET ARCHIATER REGIUS
FAC. MED. PROF. PRIM. ET ACADEMIAE
SENIOR

CIVIBUS ACADEMICIS
SALUTEM PLURIMAM DICIT
EOSDEMQUE AD DECORAM
FERIARUM PASCHALIUM
CELEBRATIONEM
HUMANITER INVITAT

1700/



d reliquos errores, qui sensim, paulatimque, in Ecclesiam irreperunt, de quibus jam dicendi locus non est, hic etiam accessit, quod frequentationem quandam locorum sacrorum, maxime intra Palaestinae fines, non modo animabus proficiam, sed etiam Numini demerendo idoneam crediderunt. **B ARONIUS** a) equidem, peregrinationum usum ab ipso exordio nascentis Ecclesiae coepisse, afferere non veretur. Neque tamen id potuit probare nisi unico exemplo *Alexandri* cuiusdam, circa annum Christi ducentesimum in Cappadocia Episcopi, qui κατὰ τὸ θεοπόνιον, seu divinis revelationibus excitatus, Hierosolymas est profectus, quo socius Narcissus seni in Episcopatus munere jungeretur, ut **EUSEBIUS** b) testatur. **B ARONIUS**, **BELLARMINUS**, & qui hos sequuntur, Alexandrum ex *voto* Hierosolymas adiisse putant, *Christophorus* procul dubio auctoritate nixi, qui verba EUSEBII, quibus ἐυχῆς καὶ τῶν τόπων ἴσογλας ἔνειν, eundem Hierosolymas comeasse docet, sic exprimit: *tum voti, tum locorum visendorum, causa.* At *Christophorus* seipsum refutat, eodem capite, quando verba, quae apud Eusebium sequuntur, διὰ τῶν ἐυχῶν, quorundam precibus, reddidit, eoque satis innuit, non voti solum notionem habere vocem ἐυχῆς, (ut parum considerate **BELLARMINUS** contendit,) sed etiam simplicis orationis, ac precum: Recte enim **HIERONYMUS** scribit: *ἐυχὴ pro locorum qualitate & orationem*

a) *Annal. T. II, p. 276.* b) *Hist. Eccl. VI. ii.* c) *ad Suniam* ♂
Fratell.

et votum significat. Quod ipsum intuens Ruffinus, quem
multis de causis in transferenda Eusebii historia Christo-
phorsono anteponendum puto, locum antea citatum sic
vertit: *Alexander Hierosolymas adorandi & sanctorum*
locorum videndi gratia properaverat. Scripsit hoc
Caelareensis ex seculi sui more, quo peregrinationes istae
in terram sanctam orationis ergo fieri solebant. An id
Alexandro propositum fuerit, incertum. Cum enim a
DEO monitus Hierosolymas se contulerit, voluntatem
ibi Numinis praestolaturus, verosimile est, eum non
alium habuisse profecitionis suae finem, quam quem di-
vina πρόφεια ostendere videbatur, quae utique huc spe-
ctabat, non, ut loca sacra inviseret, in iisque precibus
vacaret, sed ut loci illius Episcopatum, populo suffra-
gante, caperret. Interim non negaverim, subsecutis
temporibus, seculis nimirum tertio & quarto, & sigil-
latim Constantini magni temporibus, Palaestinae loca re-
ligionis ergo, frequentari coepisse. Quia enim Helena,
hujus Mater, loca pleraque, hinc vestigii seryatoris im-
pressa, hinc miraculis insignita, templis multo splendi-
dissimis, aedificisque ornarat, magnus undique popu-
lus ad illa visenda, et preces ad DEUM fundendas, con-
fluere solebat. Aberant tamen haec tenus supersticio & vo-
ta, quae tamen sensim paulatimque invaluerunt apud sim-
plices, ut & illa loca aliis sanctiora, & preces in iis ad
DEUM missas, aliis efficaciores esse, putarent. A par-
vis, ut fit, initis res eo processit, ut, nescio quae, de
locorum quorundam eximia sanctitate persuasio animos
hominum invaderet, eosque ad peregrinationes non tam
religiosas, quam superstitiones moveret. Sexto igitur, &
sequentibus, seculis cooperunt homines proficiendi ad tem-
pla, sepultra, reliquiasque sanctorum, idque religionis
genus paulatim largissimis veniarum, quas vulgo indul-

gentias nominant, promissionibus mirifice auctum fuit,
quum, fide a DEO ad creaturas translata, doctrina de
vero DEI cultu & invocatione labasceret, illaque opinio
animos hominum occuparet, Deo cultum uno in loco
prae altero probari. Unde quo magis sanctorum reli-
quiuarum veneratio crevit, hoc ardentius hujusmodi pe-
regrinationes frequentari cooperunt. Accessit perswasio,
non tantum peccatorum remissioni, sed etiam morbo-
rum curationi, easdem inservire, quod multis probat
exemplis HOSPINIANUS, libro non ineruditio de
Templis. Tandem nationes in primis Europeas, cupi-
ditas Hierosolymas, & terram sanctam invifendi, veluti
morbus quidam epidemius, invasit, ita, ut seculo XI.
trecenta hominum millia, & amplius, duce Godofredo
Bullionaeo, in Asiam militatum abirent, quorum paucissimi
rediere, ut apud GVIL. TYRIUM, FL. BLONDUM,
& alios qui de bellis sacris scripserunt, videre est. Ac
licet omnes illae expeditiones parum fuerint fortunatae,
haesit tamen hominum animis, propinante Papa, perswa-
sio, ad merita hominis referri oportere, si abierit Hiero-
solymas, & viderit Palaestinam. Extat apud OL A UM
MAGNUM d) formula precum, quacis peregre in Pa-
laestinam religionis ergoabituro baculus a sacerdote tra-
ditur: *Domine, inquit, Jesu Christe, Conditor Mundi*
& Redemptor, qui beatis Apostolis tuis praecepisti, ut eun-
tes in peregrinationem virgas tantum sumerent, Te sup-
plici devotione petimus, ut digneris hos sacculos & fustes
seu baculos, benedicere, quatenus bi, qui illos in signum
peregrinationis, & sui corporis sustentationem recepturi
sunt, tuae coelestis gratiae recipient plenitudinem, ut in
eis munimen benedictionis percipere possint, ut quemadmo-
dum

d) L, XVI, de Gentibus Septentrionibus c. 10.

dum virga Aaron in templo Domini florens a rebellium
Iudeorum numero ipsius stirpem distinxit, ita & hos si-
gnaculo S. Petri ornatos ab omnibus peccatis absolvat, ut
in die judicii ab impiis separati, in dextra sint parte col-
locandi, per Dominum nostrum Jesum Christum. Amen.
Quapropter non privati modo, sed Principes quoque
Viri, signatim e domo Saxonica, cum Albertus, stirpis,
quae hodie rerum in Saxonia potitur, parens, tum Friedericus III. Academiae hujus conditor, suo quisque tem-
pore, hoc itinere, magna pietate, defuncti sunt, usque
dum Lutherus veteri superstitione dejecta, nullo non in
loco DEUM adorari cum posse, tum debere, ostendit.
Etsi vero non disitemur, inspectionem locorum mira-
culis Jesu Christi illustrium, quandam in animis homi-
num devotionem excitare, & ad preces etiam ardentes
movere posse; hoc tamen non locis ipsis, sed mem-
oriae rerum in iis gestarum, & verbo DEI com-
prehensarum, debetur, quam, cum domi, perinde ut
foris, & in Palaestina, recolere, queamus, non ap-
paret causa, ob quam terra matrice tot adire pericula,
vel etiam loca ipsa religiosius colere, debeamus. Qua-
propter suo jam tempore errorem illum de peregrina-
tionibus superstitionis notare ac perstringere non omis-
sint HIERONYMVS, AUGUSTINVS, ANTONI-
US Eremita, & alii. Extat etiam nunc GREGORII NYS-
SENI, περὶ τῶν ἀντίοντων εἰς Ἱεροσόλυμα, Oratio, cuius auctorita-
tem BELLARMINUS, RICHEOMUS, GRETSEURUS,
aliique, frustra impugnant. Primus ille, BELLARMI-
NUS e) puta, forte, inquit, non est Nysseni illa oratio. Nam
nec habetur in operibus ejus, nec scitur, quis illam verte-
rit in sermonem latinum, & forte etiam Graece non inveni-
tur.


tur. Sed forte graviter erravit BELLARMINVS, & in eadem examinanda oratione præcipitavit judicium. Graecam enim pridem Parisiis impresit GUIL. MORELLUS, eandemque erudito de peregrinationibus libello adjecit HEIDEGGERUS, latinam vero reddidit P. MOLINAEVS, doctissimus Gallus. *γραπτόν την* ejus arguunt tum scribendi character, qui Φερσινος Gregorianam redolat, tum, quod profectionis suæ in Arabiam meminit in Epistola ad Olympium: tum antiqui codices, quorum testes sunt ALOYSIUS LIPOMANNVS, nec non Zehneri & Regia Bibliotheca. Quapropter BARONIUS & BELLARMINUS corpore saltem declinare conantur tela, quae alioqui repellere non possunt, dicentes, Epistolam non aliorum, sed solum Anachoretarum, seu eorum, qui vitae solitariae se addixerint, peregrinationes taxare. At, quae argumenta GREGORIUS iis, qui abituri sunt Hierosolymas, opponit, ea profecto non solos Anachoretas stringunt, sed omnes promiscue, quotquot præpostero loca illa visendi desiderio flagrant. Dicit enim: *εἰς δίδα τι εἴτι τὸ διατεταγμένον τι θέλειν ποιεῖν αὐτὸν εἴσαντά τοῦ καλλί νόμου γινόμενον.* Quibus verbis uti præceptum quoddam DEI, de huiusmodi frequentationibus, extare negat; sic alibi scribit, eandem sibi peregrinationem minime profuisse. Urget etiam damna & pericula inde oriunda, negatque, largius Hierosolymis Spiritus S. gratiam, quam alibi, impertiri. Quae omnia uti legere, & expendere non jueundum minus, quam utile fuerit; sic ad Nysseni rationes & illas adiiciimus, quod, mandato & promissione divina destitutae, pura puta sint superstitione, seu, ut EPIPHANI vocabulo utamur, *έθελοπεριστοθεοπονία.* Evertuat quoque conditionem Ecclesiæ Novi Testamenti. Nam ita veteri quidem ex instituto divino unus locus altero fuit sanctior. Is enim, qui coelum

lum & terram implet, voluit ad tempus adorari eo in loco, quem elegerat, in eoque templo, quod voluerat esse *πρόσωπα* coeli, in quod Christus, summus Sacerdos, pro nobis intraturus erat. At in Novo Testamento nullum ad locum cultus Deo debitus est restrictus, juxta illud Servatoris: *Venit hora, qua neque in hoc monte, neque Hierosolymis, adorabis Patrem, sed veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate Job. IV, 21, 23.* Adoratio igitur nostra fiat oportet in spiritu, h. e. non in certo quodam & definito loco, ut Samaritani in Garrizim adorandum esse putabant, sed mente devota, & in veritate, h. e. vera veri Dei cognitione, imprimitus fide ingressus propitiatorii Jesu Christi in coelum. Itaque Paulus: *volo, inquit, adorare viros in omni loco levantes sanctas manus absque ira & disceptatione.* Ipse vero Servator suos praemunit adversus illos Pseudo-Prophetarum sermones: *ιδοὺ ὁ Χριστός;* *η ὁ δε:* quod cœquidem nihil aliud est, quam, *ecce! est Hierosolymis, Laurerii, Compostellae &c.* Enim vero, cum Samaritani olim idolatriæ, imo ejus, *quod nesciant, quem adorent,* a Christo sint postulati, eo quod cultum DEI publicum Hierosolymis institutum in montem Garrizim transfulerant; quanto magis superstitionis, ac idolatriæ, rei futuri sunt, qui adorationem, nullo non in loco & efficacem & licitam, ad hunc illumve locum restringere sustinuerint, precibusque adeo ab ipso loco pondus, efficaciamque, provenire existimant. Nec enim hujusmodi peregrinationes instituuntur ad adorandum verum DEVM, quippe quem domi, multo, quam exteris in locis, facilius colere possent, sed ad venerandos sanctos, eorumdemque reliquias, imo ad ipsa exosculanda loca, in quibus vel Jesum, vel hunc illumve Sanctum, versatum arbitrantur. Etsi vero peregrinationum illarum defenso-

tes

res nonnullum causae patrocinium in eo sibi invenisse
videntur, quod & sanctae feminae, *Maria Magdalena*,
Maria Jacobi, *Salome*, aliaeque ad monumentum Serva-
toris reviserunt, & ipse Angelus, velut laudaturus offi-
cium, dixit: *Ecce, locum in quo reposuerunt eum!* facile
tamen apparet, haec incrustando errori minime suffice-
re. Nec enim feminae monumento reverentiam exhibe-
bere, vel in eodem preces ad DEUM fundere, sed corpus
domini venerari, & inungere voluerunt. Angelus au-
tem dicendo: *Ecce locum!* non ejus dignitatem extulit,
sed veritatem resuscitationis Jesu Christi probavit. Ad
cetera, quibus mala causa sustentari solet, argumenta co-
piose nunc respondere non licet. Mente potius devota,
& piis meditationibus, ad Servatoris monumentum ea-
mus, & quanta hic ex eo ad nos retulerit beneficia,
spectemus. Nostri quippe omnium, quae in sanctissi-
mum illius tergum a DÉO vindice conjecta fuerant pec-
cata, secum in id intulit, in eoque velut aeterna obli-
vione sepelienda reliquit, vitam vero & gloriosam aeter-
nitatem inde retulit, cum omnibus iis, qui vera eum
amplectuntur fiducia, communicandam. Afferamus igit-
ur gratam mentem, &, quando Servatori ipsi unguentis
nostris opus non est, servos ejus, qui velut monumen-
ti ejus perpetui sunt custodes, sustentare muneribus stu-
deamus, eosdemque, ut Angelos, de Servatore in vitam
revocato verba his fériis facturos, ea quidem attentio-
ne ac studio audiamus, ut cum Christo resuscitati no-
vam omnino, eamque meliorem, vitam ingressi vi-
deamur. P.P. In Festo Paschali A.R.S.
c. I o C C X X .

WITTENBERGÆ
TYPIS SCHROEDERIANIS, ACAD. TYP.



94 A 7379

ULB Halle
002 376 911




3


5b

WPA

F
Nov 1983



B.I.G.
Black



RECTOR
ACADEMIAE WITTENBERGENSIS
**JO. GOTHOFREDUS
BERGERUS**

CONSILIAR ET ARCHIATER REGIUS
FAC. MED. PROF. PRIM. ET ACADEMIAE
SENIOR

CIVIBUS ACADEMICIS
SALUTEM PLURIMAM DICIT
EOSDEMQUE AD DECORAM
FERIARUM PASCHALIUM
CELEBRATIONEM
HUMANITER INVITAT

1700